

*Lyra.* *Erasmus* econtra reddit per *cultum*. Defendit vulgaram versionem *Estius* ad h. l. putans, hac voce passim in scripturis significari *cultum religionis*, quò sc. DEUS colitur: quin prætendit, ipsum *Tertullianum* in Apolog. (cujus tamen caput certum citare debebat) & *Augustinum* Lib. X. de Civit. DEI c. IV. *obsequium* adhibuisse pro cultu: imò Ecclesiam Romanam passim in officio Missæ ita loqui solere, colligitque exinde, malè quosdam Interpretem *imperitiæ* accusare, qui non solùm h. l. sed & alibi, e.g. *Job*. XVI. 2, vocem *λατρείας* per *obsequium* expresserit; eum quippe *usum esse vocabulis Ecclesiasticis*, i. e. suo tempore per Ecclesiam usitatis. Verùm, etsi libenter versionem hanc sua laude gaudere patiamur, certum tamen est, vocem *obsequii* in hoc Textu obscuritatem parere potius quàm tollere. Quicquid enim sit, quod *λατρεία* rationem obsequii habeat, quatenus fit ad mandatum & præscriptum DEI, cui cum morem præstamus, obsequium simul exhibemus; cùm tamen obsequii vox ad agenda pariter & non agenda se extendat, aut etiam *indulgere*, vel *non repugnare* significet; hic profectò negligendum non est, quòd actus positivi ratio voce aptiore exprimi debeat. Quanquam & *Augustinus* l. c. non tam voce obsequii absolutè utatur; quàm cum addito, *Religionis obsequium* dicat. *Tremellius* Syrum secutus, habet *ministerium*. Plurimi ceteroquin Interpretes *λατρείας* exprimunt per *cultum*. vid. *Phil. Melanctb.* ad h. l. *Erasmus Roterod. Tilem. Hesbusius, L. Osiander Gerb. Calixtus, Waltherus* Harm. Bibl. p. 1091. *Calvinus, Beza, Gomarus, Crellius, Slichting.* ad h. l. B. *Lutherus* explicavit per vocè (Gottesdienst) respiciens hoc ipso contextum potius, quàm præcisè vocis significationem; quæ vi primæ suæ originis designat *famulitium* aut *servitium*, tale præsertim, quod bello capti servi ac servæ præstant. Derivatur namque à nomine *λάτεις*, quod servum in bello captum, aliquando tamen etiam